

rosa filio et servo, et utilis parentibus vel dominis non autem viceversa. Cap. un. h. t. 2^o. Si expositus demoriatur mors expositibus tribuenda est, et ipsi de ea tenentur respondere.

Expositi suscipiendi et alendi sunt in piis domibus seu in brephotropheis vel aliis locis a pietate christiana erectis; quæ si desint Ecclesia ipsa debet eos suscipere et educare. Si Ecclesia hoc opus præstare non possit tenebitur Communitas loci, idest omnes concurrere tenentur sive ecclesiasticæ sive laicales personæ. Ita communiter Doctores. Nec deinde ab exposito expensæ repeti possunt, quia pietatis causa factæ fuisse censentur. Cap. un. h. t.

4. Conditiō juridica infantium expositorum est, ut si nesciatur locus originis sortiantur proprium Episcopum et proprium Parochum in loco expositionis. Præsumuntur vero legitimi nisi probetur genitos fuisse ex illegitimo concubinato. Argumento enim ex capp. 5. et 11. *'Qui filii sint legitimi'* opponenti illegitimitatem onus probandi incumbit. Verum hæc regula non videtur applicari posse expositis relate ad Ordines, et relate ad beneficia ecclesiastica. Nam ex disciplina Ecclesiæ debet positive constare de legitima nativitate personæ promovendæ.

TITULUS XII.

De homicidio voluntario et casuali.

1. Homicidium in hoc titulo consideratur in relatione ad censuras ecclesiasticas. Porro eo nomine intelligitur occisio hominis facta ab alio homine, siquidem si a bruto fiat appellatur *'pauperies'* Jur. Rom. ff. h. t. *'Si quadrupes pauperiem'*.

2. Homicidium aliud est *voluntarium*, aliud *involuntarium* seu *casuale*. Voluntarium est homicidium quando procedit ex intentione directa occidendi aliquem hominem, vel saltem indirecta, et proinde imputatur agenti. Voluntarium aliud dicitur *necessarium* idest electum tamquam medium ad vitæ defensionem, aliud dicitur *dolosum* quia procedit ex fraude, idest ex intentione directa et injusta perdendi hominem; aliud *culposum* quod non intenditur ab agente, sed procedit ex sola ejus culpa, ex defectu debitæ diligentiae. Casuale vel fortuitum illud est quod ex casu procedit, neque directe aut indirecte nobis tribui potest. Rursus homicidium aliud est *publicum*, aliud *privatum*. Publicum illud est quod a

legitima auctoritate permittitur quemadmodum contingit in bello, et in executione ultionis publicæ contra delinquentes. Privatum homicidium illud est quod privata auctoritate patrat.

De homicidio publico.

3. *'De homicidio publico quod in bello gerendo potest perpetrari'*. In bello injusto si unus ex hostibus occidatur vel mutiletur omnes qui ad illud processerunt vel cooperati sunt, irregulares fiunt, omnes enim sunt complices in criminosa occisione. Can. 4. dist. 51. et cap. 6. h. t. § fin. et arg. cap. 5. *'De pœnis'*. Injustitia autem debet esse *evidens* nec sufficit *opinabilis*. Evidens autem injustitia ex indole causæ belli, et melius ex communi proborum hominum sententia determinatur. Requiritur vero evidens injustitia, quia bellum inferentes et cooperatores constitui debent in mala fide, ita ut a crimine excusari nequeant. Hinc qui solummodo bello injusto assistant ut spiritualibus auxiliis militibus præsto sint, nec ullo modo milites ad pugnandum adhortantur, irregularitatem non contrahunt.

4. Quod si bellum fuerit *justum* iterum distinguendum est inter bellum *aggressivum* et *defensivum*. In bello aggressivo seu offensivo fiunt irregulares illi omnes et soli, qui adversarios vel occidunt vel mutilent non quidem ob delictum, sed ob defectum mansuetudinis et lenitatis, quæ in suis ministris ab Ecclesia exigitur, ut Christi Domini imaginem referant. Arg. c. 24. h. t.

5. Si bellum fuerit justum defensivum, cum quodammodo quis adversarium occidat ad propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ neque ipsi qui occidunt milites hostes incurrunt irregularitatem. Clem. un. h. t.

6. *'De homicidio publico, quod in expiatione criminum ex publica auctoritate completur'*. Omnes qui concurrunt in hoc homicidio ex defectu lenitatis fiunt irregulares. Hinc iudex, accusator, aut denunciator, adessor, advocatus accusatoris, notarius scribens sententiam capitalem, testes contra reum deponentes, saltem si sponte sese obtulerint ad ferendum testimonium, omnes deferentes reum ad supplicium, et in genere quicumque partem habent activam et publicam, vel saltem notabiliter proximam contrahunt irregularitatem, effectu tamen secuto. Si enim mors ob quamlibet rationem secuta non fuerit, irregularitas non incurritur

Conf. sunt capp. 5. et 9. 'Ne clerici vel Monachi' 10. 'De excessu Præl.' necnon canones 1. Dist. 50. et 29. causa 23. q. 8.

7. Relate ad accusatorem vel denunciatores animadvertimus incurri solummodo irregularitatem, quando accusatio seu denunciatio rei fit *criminaliter*, idest ad vindictam. Hinc si laicus vel clericus reum accusent ad obtinendam damnorum reparationem et protestentur se nolle criminaliter agere, nullo modo fiunt irregulares. *Cap. 21. h. t. et cap. 2. h. t. in VI.*

8. Pariter animadvertendum est ab irregularitate immunes esse eos qui in pœnam sanguinis auctoritate privata et non publica, nec propinque sed valde remote, et potius accidentaliter concurrunt. Tales sunt opifices qui instrumenta mortis inferendæ faciunt, confessarius, qui reum admonet ut procedat in via, vel ascendat scalas patibuli, eumque adjuvat. Sic etiam immunes sunt legislatores, qui ferunt leges cum pœna capitali, quia leges et statuta non ordinantur ad hunc vel illum in specie civem perdendum, idest certam personam occidendam non respiciunt, sed potius ad publicam pacem et rectum societatis regimen obtinendum diriguntur.

De homicidio voluntario.

9. Si homicidium sit necessarium, idest si patratum fuerit pro defensione vitæ, vel omnium honorum, vel saltem maximæ partis eorundem honorum cum moderamine tamen inculpatae tutelæ, homicidium honestum et licitum est, neque ex eo oritur irregularitas. *Arg. Clem. un. h. t. Qui tamen excedunt moderamen inculpatae tutelæ irregularitatem incurrunt. Can. 6. et 8. Dist. 50. et cap. 28. h. t. necnon Trid. sess. 14. cap. 7. 'De Refor.'*

Diximus *'pro defensione omnium honorum vel saltem maximæ partis eorundem'*. Hinc ex cap. 10. h. t. qui occidit latronem furantem vestes vel aliud simile irregularis dicitur.

10. Si homicidium sit dolosum vel graviter culpabile plures sunt pœnæ a Jure Romano statutæ. Nos solum adnotamus pœnas quoad clericos, et in relatione ad statum Clericalem. Hinc si clericus sit auctor criminis fit inhabilis ad beneficia obtinenda, *Trid. sess. 14. cap. 7. De Ref., immo est deponendus can. 12. dist. 81. et cap. 10. De judiciis.* Quicumque tandem sive clericus sive laicus auctor sit homicidii dolosi aut graviter culpabilis ex defectu debitæ diligentiae, et quicumque proxime cooperantur in

cædem vel mutilationem injustam, mandans, mandatarius, consulens, consentiens efficaciter et illi qui impedire homicidium poterant et ratione officii debebant, non tamen impediverunt, omnes incurrunt irregularitatem. *Capp. 7. et 8. h. t. et fin. eod. in VI.*

11. Immo posito facto homicidii vel mutilationis, qui dubitant an cooperati fuerint in crimen vel debitam diligentiam omiserint ceu irregulares habendi sunt. Unde dubium facti non excusat ab irregularitate. *Capp. 12. et 18. h. t.*

12. Diximus irregularitatem contrahi ex homicidio vel mutilatione graviter culpabili. Nam si quis operam dederit rei licitæ, et ex ejus facto leviter culpabili mors vel mutilatio alterius sequatur, locus non est irregularitati ex delicto. Ex sensu enim *capp. 22. h. t. et 7. 'De Pœnitent. et Remission.'* culpa lata requiritur.

13. In homicidio casuali distinguendum est utrum quis dederit operam rei licitæ vel illicitæ. Si homicidium fortuito contigerit, dum quis omnem adhibens diligentiam rei licitæ vacaret, nulla contrahitur irregularitas; quia agens in casu neque criminis reus ullo modo est nec mansuetudinem offendisse dici potest. Hinc variae propositæ species *in capp. 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23. et 24. h. t.* contra existentiam irregularitatis sunt resolutæ.

14. Quod si homicidium vel mutilatio contigerit casu, quo quis operi illicito vacaret, iterum videndum est utrum actio illicita de se inducere possit periculum mortis vel mutilationis, vel cum iisdem nullam habeat connexionem. Sunt qui tenent etiam in hac secunda hypothesis homicidium prorsus casuale inducere irregularitatem et innituntur sensui contrario capitum citatorum in quibus excluditur irregularitas eo quod dabatur opera rei licitæ. — At dicendum in hoc secundo casu, si adhibita fuerit debita diligentia, irregularitatem non contrahi, quia quamvis agens sit reus ob actionem illicitam, tamen de homicidio non tenetur, nec sub respectu criminis, nec sub ratione defectus lenitatis.

15. At si actio illicita natura sua inducit periculum mortis, et si præsertim ob hoc periculum fuerit vetita, homicidium etiam fortuitum generat irregularitatem. Unde Clericus exercens artem medicam, vel chirurgicam sibi vetitam fit irregularis si mors sequatur. *Cap. 19. h. t. et 9. 'Ne clerici vel monachi.'* Ratio est quia ob prohibitionem fundatam in connexionione actionis cum morte homicidium imputari potest agenti. Nec excusat debita diligentia

quia jus præsumit diligentiam insufficienter adhiberi a personis quibus actio prohibetur. Igitur concludendum est ex homicidio et ex mutilatione, positis supra enunciatis conditionibus, contrahi irregularitatem.

16. Dicimus 1^o. 'ex homicidio'. Hinc non ex vulnere inflictio; licet magna inde effluerit sanguinis copia. Quod si autem vulnus fuerit lethale contrahitur irregularitas et reliquæ pœnæ applicandæ sunt homicidis, sive mors illico, sive etiam post intervallum temporis inde sequatur. Quia vulnus hujusmodi fuit vera causa mortis. *Arg. cap. 18. h. t.* Medici autem et chirurgi judicabunt an vulnus fuerit lethale necne.

17. Dicimus 2^o. 'ex mutilatione'. Mutilatio enim æquiparatur homicidio, quia dirigitur ad lædendam integritatem personæ, seu ad perdendam personam in membris suis, et in aliquo genere actuum. *Arg. Clem. un. h. t., capp. 4. et 5. 'Ne Clerici vel Monachi'*. Mutilatio autem definiri solet communiter a Doctoribus: 'Abscissio seu amputatio partis principalis corporis, seu membri, quod proprium actum distinctum, seu functionem habet.' Talia sunt manus, pes, oculus, aures, virilia, mamillæ in femina, non autem digitus, cartilago, nasus, dens.

18. Circa dispensationem ab irregularitate orta ex homicidio servandum est jus novissimum Concilii Trid. *In cap. 7. sess. 14. 'De Refor.'* statuit homicidium ex proposito patratum, etiamsi occultum fuerit inducere inhabilitatem ad ordines et ad officia vel beneficia Ecclesiastica, ita ut nullo modo ab Ordinariis locorum possit dispensatio concedi auctori hujus criminis. Si vero narretur homicidium fuisse commissum non ex proposito, sed ad vim vi repellendam, ait Concilium ab Ordinario posse causam videri, et concedi dispensationem quomodocumque ea debeat. *In cap. autem 6. sess. 24. De Refor.* ita statuit. 'Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.' Unde sive voluntarium homicidium publicum sit, sive occultum, dummodo non sit ad propriam defensionem initum, irregularitas ex eo proveniens a solo Romano Pontifice dimittitur.

19. Quoniam vero mutilatio licet comparetur homicidio, tamen stricto sensu homicidium non est, hinc poterit Episcopus dispensare

ab irregularitate ex mutilatione occulta, quia Tridentinum Concilium homicidium occultum exceptit. Ceterum licet dispensatio sit strictæ interpretationis, tamen facultas dispensandi concessa Episcopis a Concilio Tridentino, est latæ interpretationis, quia est favor eisdem Episcopis concessus.

TITULUS XIII.

De torneamentis.

1. *Torneamenta* seu *hastiludia* erant 'feriæ seu ludi publici in quibus equites circumeuntes et regredientes armis congregi solebant, ad ostendendas proprias vires et peritiam in armis tractandis'. Ob frequentes casus occisionis, qui evenire solebant, Ecclesia prohibuit torneamenta et in capp. 1. et 2. h. t. privavit sepultura ecclesiastica eum qui licet pœnitens in ludo decertans occubisset.

2. Joannes 22. in Extrav. un. h. t. ut milites instruerentur in bello gerendo, et præsertim contra Turcas, permisit fieri torneamenta, eo tamen facto exercitio armorum ex quo removeretur periculum mortis. Sic etiam remoto periculo vitæ et adhibitis necessariis cautelis, torneamenta permissa sunt in signum lætitiæ, ex. gr. ex occasione nuptiarum Principum.

3. Ob eandem rationem torneamentorum, prohibitæ sunt *agitationes taurorum* et *ferarum bestiarum* in quibus pugnæ instituebantur ludendi gratia inter personas ludentes et bestias ipsas. Hæc prohibitio facta est a Pio V. in Const. 'De salute' 1. Novemb. 1567. Et quidem decernit S. Pontifex pœnam excommunicationis contra Principes sæculares et alias auctoritates civiles permittentes istos ludos, et contra Clericos sive sæculares sive regulares hujusmodi ludis assistentes.

4. Rigorem hujus Constitutionis pro solis Hispaniarum regnis temperavit Gregorius XIII. in Constit. 'Exponi nobis' 25. Augusti 1575 sustulitque pœnam excommunicationis, interdicti, et alias pœnas quoad laicos ac fratres milites, dummodo iidem fratres milites non essent in majoribus ordinibus constituti.

5. Tandem a Clemente VIII. Constitutione edita die 13. Jan. anni 1596, sublata est prohibitio pœnalis contra spectatores horum ludorum, etiamsi fuerint Clerici sæculares; non autem si fuerint regulares, quia quoad istos jus pristinum integrum relictum est.

6. Verum de pœna excommunicationis Pianæ Constitutionis 'De salute' silet Constitutio 'Apostolicæ Sedis' adeoque ea excommunicatio cessavit etiam quoad regulares.

TITULUS XIV.

De Clericis pignantibus in duello.

1. Duellum seu monomachia est 'singulare certamen ex utraque parte sponte et ex condicto susceptum'.

Duellum ab Ecclesia ob frequentes humanas victimas, uti res detestabilis habita est. Hinc in cap. 1. h. t. contra Clericum duellantem, statuitur pœna depositionis, et si aliquis sive per se, sive per alium occiderit adversarium ex cap. 2. h. t. irregularis redditur.

2. Aliæ deinde accesserunt leges Ecclesiæ in hac re. Prima est tridentina lex in *sess. 25. De Ref. c. 19.* ubi sequentes pœnæ statuuntur: 1^a. Sæculares principes, qui in suis terris inter christianos locum concesserint ad monomachiam complendam eo ipso excommunicationi subjiciuntur. Et si terras ab Ecclesia in feudum acceperint, eo ipso privantur omni jurisdictione. 2^a. Duellantes et eorum patrini incurrunt pœnam excommunicationis, proscriptionis bonorum, et perpetuæ infamiæ, et ut homicidæ juxta sacros canones puniri debent. Quodsi in conflictu decesserint, christiana sepultura perpetuo privantur. 3^a. Consilium dantes, suasores et spectatores, qui tamen ex industria quasi approbantes duellum excommunicationis et perpetuo maledictionis vinculo subjiciuntur.

3. Accessit Constitutio Gregorii XIII. 'Ad tollendam' 5. Dec. 1582 qui videns eludi posse sanctionem Tridentinam, pœnas ejusdem sanctionis extendi declaravit ad duellum privatum et minus solemne, et absque patrinis, absque securitate loci, et absque aliis solemnitatibus initum.

4. Clemens VIII. deinde in Constitutione 'Illius vices' 17. Augusti 1592. 1^o. easdem pœnas extendit ad ipsam provocationem et ad cooperationem ad duellum etiam certamine non secuto; 2^o. ipsos etiam provocantes et cooperantes excommunicationi Papæ reservatæ subjicit, nec non pœnæ infamiæ juris et privationis sepulturæ eccle-

siasticæ; 3^o. decrevit loca certaminis eo ipso supponi interdicto reservato Romano Pontifici.

5. Insuper edita est Constitutio 'Detestabilem' IV. Idus Nov. 1752 in qua Benedictus XIV. statuit 1^o. eum qui decertans in duello hominem occiderit, sive in loco conflictus, sive extra locum mortuus fuerit ex vulnere accepto in duello, privari jure asyli sacri; 2^o. statuit pœnam sepulturæ a Tridentino inflictam incurri etiam ante sententiam judicis; 3^o. hanc pœnam incurri etiam ab eo, qui ex vulnere accepto in duello demoritur extra locum conflictus, etiamsi ipse vulneratus indubia dederit signa pœnitentiæ et obtinuerit ab Ecclesia absolutionem a peccatis et a censuris.

6. Tandem in Constitutione 'Apostolicæ Sedis' inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas sub n. III. legitur excommunicatio contra 'Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quolibet complices, vel qualemcumque operam vel favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis.'

TITULUS XV.

De sagittariis.

1. *Sagittarii* vel *ballistarii* erant illi, 'qui arte callebant arcubus vel ballistis longius projiciendi saxa etiam magni ponderis, aut globos ferreos vel plumbeos'. Hæc ars erat præsertim in usu in bellis sacris contra Turcas. Hinc in *cap. un. h. t.* sub anathematis pœna prohibetur exercitium hujus artis adversus christianos. Ex paritate rationum prohibitum esse censetur idem exercitium in bello hæreticorum contra christianos.

2. Huic arti successit *peritia moderandi actionem tormenti bellici, ignitosque globos vel ferreas pilas data directione projiciendi in hostes.* In bello prorsus civili etiam inter catholicos, nemo est qui hanc peritiam militaris actus reprehendat. Etenim juxta *can. 2. caus. 23. q. 2.* 'cum quis justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat nihil ad justitiam refert.' Attamen Doctores cum Glossa in *cap. ult. h. t.* non approbant usum hujus peritiæ in bello injusto, ob generalem rationem quia nunquam licet pugnare in bello evidenter injusto.